

etc. Quod deprecatur David, Ps. L. *Ne projecis me a facie tua.*

Tertio, quando infructuosos ramos e vite terminat, et in infernum præcipitat: *Descedite a me maledicti.* O separationem terribilem! Quid enim est separari a summo bono, ab omnibus electis? Sic facere intendit ficui illæ infrugiferae, Luc. XIII. qui per triennium fructum nullum tulit. Nec immerito, si enim in hortis nostris non toleramus arbores inutiles, et infecundas, nec in corpore membra putrida, quid mirum, si in Filio suo Deus non ferat inutiles Christianos? Tolerat quidem aliquamdiu, et expectat eos ad penitentiam et fructificationem; sed vae illis, si abutantur ea indulgentia ad peccandum: *Nemini dedit Deus spatium peccandi,* ait Eccles. cap. XV. sed penitendi et fructum afferendi. Notandum præterea, si sterilis palmes et fructum bonum non ferens tollitur et in ignem mittitur, quid fiet ferenti malos et noxios fructus.

VII. Quomodo palmitem ferentem fructum purgat Deus? Respondetur primo, tunc purgare quando ea, quæ noxia sunt palmitibus ab iis resecat, ut peccata venialia, cupiditates rerum terrenarum et affectus inordinatos, peccandi occasiones, etc. Sic vinitor putat palmites, cum virgas excrecentes et luxuriantes ab eis resecat, ne pro fructibus folia tantum et rami gignantur. Ejusmodi autem falces, quibus putantur Christiani, sunt frequens sacramentorum usus, tentationes, et morbi, quibus resecantur creaturæ amatæ, verbum Dei et admonitiones salutare, exempla, quæ dant boni, vel quæ dat Deus præmiando bonos et puniendo malos. Gauderet sane viti cum putatur, si ratione prædita esset: gaudeat et Christianus cum his falcibus purgaturus. Sanctus Jacobus, cognomento *intercisus*, cum digiti et cætera membra ei abscinderentur jussu regis Persarum, abscisso primo digito dixit: «Liberator Nazarene, suscipe ramum arboris misericordiæ tuæ. Nam a cultore vineæ sarmentum abscinditur vitis ut potius germinet et uberius coronetur.» Cumque instaret illi carnifex, ut fidem abnegaret, respondit: «Nonne protexisti stipitem vitis, quia, cum amputantur sarmenta, ille nodus qui remanet in suo tempore, cum terra calefcere incipit, per singula abscissionis loca producit germina? Si ergo vitis putatur vicissitudine temporis ut germinet, quanto magis fidelis homo, qui in vera vite Christus compactus est?» Sic ille, qui et per singulas mutilationes membrorum singulis sententiis Deum benedixit. Similiter, et tu vitem te esse cogita, cum Deus abscindit tibi

sanitatem. Sic sentiebat eremita ille, qui cum uno anno a morbo immunis fuisset, dixit: *Domine Deus cur me deseris? Cur me desolatum hoc anno non visitasti?* Et religiosus ille infirmo adolescenti sanitatem desideranti: *Rem tibi necessariam, inquit, cupis auferri: si enim aurum es per ignem probaris: si ferrum, rubiginem amittis.* Ex vitis patrum referunt Simon Goulart. et Ludov. Granat. serm. de commemoratione animarum. Item cum tibi abscindit per mortem liberos vel amicos. Sic Sancta Melania cum marito nondum humato, binos insuper amisisset liberos, nihil aliud dixit, quam: *Magis expedite tibi servitura sum Domine, quia tanto me honore liberasti,* Hieron. in epist. ad Paulam. Item cum per incendium, rapinam vel similem afflictionem opes tibi adimit, ita S. Francis. bonis suis exutus a parente, dixit, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: *Pater noster, qui es in caelis.*

Secundo, verbo Dei, et salutaribus admonitionibus quasi lavacro quodam. Unde subjicit Dominus: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Laverat paulo ante pedes suis discipulis, non tamen ob id mundos ait, sed propter sermonem, quem postea ad eos fecit; itaque illa lotio figura hujus fuisse videtur. Nemo igitur detrectet ad spirituale concionis balneum venire, quia ibi sordes abluuntur. Ad balneum singulis fere sabbatis itur, et lixivium admittitur: cur non potius id præstamus animæ? Sed nimirum uti capita scabiosa horrent lixivium et pectinem: ita qui sibi male conscii sunt, fugiunt conciones. Multi existimant non posse se esse sanos, nisi semel in hebdomada se lavent: a balneo vero concionum sæpe multis hebdomadibus ac mensibus abstinere possunt: quos certe necesse est, sordibus scatere.

Tertio, penitentia et lacrymis, quæ sunt instar sacrificacionis, qua superfluis redundans sanguis emittitur, et nisi emittatur, quandoque graves et lethales morbos gignit. Eadem ratio cum penitentia. Crebro aperiantur conscientie confessariis, ut emittatur sanguis noxius peccatorum. David certe, cum per novem fere menses in peccato hæsisset, et penitere omisisset, tandem noxio sanguine gravatus exclamat, Psal. L. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Ac nisi venisset Nathan, qui quasi sacrificando conscientiam ejus sauciavit, et sanguinem elicit, forte perisisset. Nemo igitur ægre ferat, si idem etiam confessarii faciant. Et quemadmodum sacrificatio fit fere singulis mensibus, sic deberet fieri confessio.

Quarto, exemplis bonorum, necnon iis, quæ ipse Deus dat misericordiæ vel vindictæ, quasi venæ incisionibus: ut enim unius venæ incisione purgatur sanguis in venis aliis toto corpore, sic quando Deus incidit aliquando venam unam, cum tollit repente e medio nostri amicum unum, etc. cogitemus tunc: *Hodie tibi, cras mihi,* et vitam, si sapimus, emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subito preoccupati die mortis, quæramus spatium penitentia, et invenire non possimus.

VIII. Itane omnem palmitem purgat, cultro persecutionis? Respondetur, id affirmari et confirmari ab apostolo, II. Tim. III. cum ait: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecu-*

tionem patientur. Primo, quia semp eradsunt difficultates in superandis vitiis, et concupiscentiis propriis franandis. Unde S. Leo, serm. IX. de quadragesima ait: *Sicut totius est corporis bene vivere, ita totius est temporis crucem ferre.* Secundo, quia diabolus neminem non tentat et impugnat. In quem sensum S. Augustin. in Psalm. CXXVII. ait: *Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones. Si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? Unde non minas et scandala procurat?* Tertio, quia quicumque pie vivunt, habent obtrectatores, irrisores, ludiones, fraudatores, detractores: *Impossibile enim est, ut qui malis bellum indixerit pressuris careat,* inquit S. Chrysostomus, in dictum apostoli locum.

UCTARIUM.

CONCIO I.

QUOS DRACONES NECARIT S. GEORGIUS.

I. Diocletianum et præfectum ejus. — II. Diabolum.
— III. Mundum. — IV. Mortem.

THEMA.

Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Isa. XV.

Sancti Georgii festum apte consequitur præ aliorum festivitatis solemnitate resurgentis Domini. Eodem enim die, quo Christus patiendo, humani generis hostem debellavit, in parasceve scilicet, et ipse martyrii sui certamen obiit, ut scribit Metaphrastes, in ejus encomio, eundemque in passione strenue secutus est: jure itaque merito post resurgentem Christum primus celebratur in Ecclesia militante. Hinc forsitan accidit, ut etiam ipsi Georgio subjectum ad pedes draconem appingerent antiqui, quemadmodum et Christo resurgenti serpentem ab eo calcatum. Unde posset aliquis querere ex Georgio, cum Isaiâ LI. *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Quia nimirum eodem die quo Christus passus es, et draconem prostravisti.* Sed absit ut gregario militi demus, quod debetur ejus duci. Percussit quidem ipse et vulneravit draconem; non tamen ita, quemadmodum ipse dux noster Christus. Hic enim propria virtute, Georgius gratia et virtute Christi demonem debellavit. Vulgi opinio est, verum draconem a Georgio interfe-

ctum esse pro salute alicujus virginis, cum tamen in ejus vita, quam servus ejus Pasocrates scripsit, nihil de hoc habeatur. Quare figurate virgo illa intelligenda est vel provincia aut civitas, quæ adversus diaboli vires tanti martyris imploret auxilium, ut vult Baronius, in martyrol. 23. apr. vel Ecclesia, ut alii; vel fortasse Alexandra imperatrix, quam ipse contra impetum Diocletiani mariti convertisse et Christo lucrificasse scribitur, in cit. vita. Cæterum hic videamus accuratius, quos tandem dracones Georgius interemerit.

I. Primus hic fuit tyrannus Diocletianus ejusque præfectus Magnentius, quibuscum pugnavit. Notum est ex historia naturali Plinii, I. VIII. c. XI. et c. XII. Isidori et aliorum, draconem ob innatum calorem siti æstuarie, ideoque sanguinem elephantis gelidum avidè expetere, unde cum ad arborem forte elephas adhæret, ex ea in ipsum desilit, eique circumplexo sanguinem exsugit, donec debilitatum sternat; qui tamen corruendo draconem opprimit enecatque. Diocletianus sanguinis christiani sitientissimus helluo (idcirco in vita S. Georgii, a Pasirate ejus servo conscripta *sævus draco* appellatus) Georgii etiam sanguinem vehementer sitiēbat; et primo quidem, vecte eum verberari jussit, ut totum ejus corpus sanguine perfunderetur: deinde, in rotam acutis cultris armatam injici, et fœde lacerari, ibique deseri, ut interiret. Unde tamen per angelum mire ereptus et sanatus, rursus se non modo vivum, sed etiam incolumem imperatori stetit,

ita ut ille stupens agnoscere eum nollet : quem omni dubio procul mortuum putabat. Quare cum ex eo miraculo milites aliqui, ipsaque imperatrix Alexandra credidissent, iterum eum corripit et in lacum ardentem ex asbesto lapide conjici utrique toto triduo mandavit : post triduum missis militibus ejus, quem extinctum non dubitabat, ossa inhumari, ne venerationi essent. Verum milites eum rursus vivum et sanum repperunt; unde et in Christum crediderunt. Denuo, obstupefactus et victus imperator, calceos ei ferreos indui et ignitis clavibus affigi jussit, sicque eum trudi et agitari. Verum nihil et hic profecit, cœlitus confortato et sanato martyre. Postea, nervis eum verberari imperans, iterum sanguinem ejus sugit. Denique, cum nec pœnis nec blanditiis ullis superare eum posset, sed magis ac magis ab ipso superaretur, ita ut multitudo gentilium ad fidem perduceretur, ipsaque Augusta Alexandra Christum profiteretur, capite eum plecti una cum Alexandra jussit; quamquam Alexandra, antequam gladio feriretur, in oratione obiit. Sic Georgius cadens quidem, Diocletianum nihilominus confusum prostravit, unaque conjugem ejus ipsi ablatam Deo desponsavit. Atque hæc videtur esse illa regina, quæ appingitur pugnanti cum dracone Georgio, velut pro ipsius salute decertanti ac triumphanti.

Dices : Quomodo victor tyranni Georgius cum ipse vitam perdiderit et tyrannus ei ademerit? Ad hoc respondeo in primis victum a Georgio tyrannum; quia ab eo nequaquam impetravit id quod optavit; sed spe prædæ suæ delusus est dum Georgium a fide Christi ad idolorum cultum tot machinis et laboribus pertrahere frustra conatus fuit. Baptista Mirandulanus, cum in singulari certamine Ferrariæ hostem ingenti animo invasisset, isque territus fugeret, præ gaudio, ut putatur, in equo nutans, omnium admiratione occubuit, teste Fulgoso, l. IX. c. XII. qui se oculatum testem addidit. Itaque in hoc certamine victor fuit, qui gloriose occubuit. Sic vicit Georgius, plenus gaudio moriens, tyranno confuso, sic victor occubuit, sic occumbens vicit. Deinde, quia cum tyrannus, nequaquam gladio præcise, sed dirissimis suppliciis animam ei extorquere moliretur, minime id effecit, sed contra voluntatem suam gladio eum non tam ferire quam coronare coactus fuit; ut hoc pacto ipse furori suo succumbere, et martyrem corona cogeretur cumulare.

II. Secundus fuit diabolus, serpens ille antiquus et draco, cum quo et Michael pugnavit, in Apocalypsi, c. XII. Hujusmodi draco fuit, qui Theodorum, juvenem dissolutum, moribundum

devoraturus Romæ in monasterio S. Gregorii Magni, precibus monachorum fugatus est, juvene ad pœnitentiam revocato, apud S. Greg. dial. l. IV. c. XXXVII. Hunc Georgius vicit, blanditias ejus per os Magnentii et imperatoris sibi propositas heroice contemnendo. Cum enim imperator flectere eum tormentis nequiret, consilio Magnentii, blandimentis eum aggressus est, divitias promittens et secundum ab eo locum in ipsius aula, veniam insuper ob injurias ei illatas petens. Sed vulpis hujus astutiam saniori astutia elusit Georgius, duci ad imperatoris deos postulans, quasi jam persuasus ad eos colendos. Adductus non exiguo imperatoris gaudio, ad statuam Apollinis, quæsivit ex ea utrumnam ipse deus esset, ab hominibus colendus. Qua voce territus dæmon, e statua clamavit : *Non sum ego Deus, neque qui mecum sunt; sed unus est Deus verus, qui fecit omnia et filius ejus Christus, per quem fecit omnia.* Mox secutus lamentantium dæmonum tumultus. Georgius ergo crucis signo statuas, et templa dejecit : itaque secundo dæmonem debellavit.

Stravit autem draconem hunc primo, confundendo eum, et velut debellatum a Christo, subsannando atque objurgando; quod superbus cacodæmon neququam pati potest. Dicebat ejus cohorti : *Quomodo vos nunc hic audetis manere, cum ego Dei servus hic stem, super quem invocatus fuit et nunc invocatur Christus Deus verus?* Indignum eum asserens, qui coram servo Dei staret; velut si dicat vir nobilissimus lictori aut carnifici : *Quomodo tu coram me apparere audes?*

Deinde, signo crucis, quo idola et facta stravit. Id enim fustis est, quo canis ille tartareus percussus est a Christo usque ad interneccionem : quem vel a longe ostensum fugit more canis nuper fustigati.

III. Tertius fuit mundus, designatus per draconem illum, Dan. XIV. quem colebant Babylonii sub Balthasare rege. Draco per terram repit, indeque venenum colligit; ita mundus et mundi civitates in terra repentis, nonnisi terram, indeque innumera vitia contrahunt. Daniel picem, adipem et pilos commiscuit et coxit, indeque facta atque in os draconis injecta massa, eum disruptit. Simili modo Georgius mundum superavit. Erat genere nobilis et tribunitiis dignitatibus perfunctus in exercitu imperatoris. Verum ille secum tria potissimum cogitare piaque meditatione quasi coquere cœpit, Christi gloriosi ad cœlestes suas nuptias invitantis nos vocem suavissimam : sicque velut ad adipem frumenti, de qua Psal. CXLVII. dicitur : *Qui posuit fines tuos (o cœlestis Jerusalem) pacem, et adipe frumenti satiat te, servos suos vocantem.* Deinde, ejusdem præcedentis

et erucum præferentis plusquam heroicum exemplum, quo velut pice trahit ad sui sequelam homines, dicens : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Tertio denique, vitæ hujus fragilis commoditates citissime prætereuntes, æternæ illi vitæ nequaquam conferendas, multo minus præferendas, ut habet Pasocrates, in ejus vita. Et hæc sunt quasi pili, mundi, inquam, fragilia bona. Hæc tria in corde suo coxit cum Daniele, beneque expendit S. Georgius, et in draconis os injecit; sic eum dirupit, ejusque inanitatem hominibus ostendit, quasi dicens cum Daniele : *Ecce quem colebatis?* Per hoc etiam amatores mundi quam plurimos ei abstraxit, et ad amorem Christi mundique contemptum traxit. Quemadmodum Daniel suo illo facto Balthasar cor mutavit, ut non solum ipse Deum Danielis laudaret, sed etiam populo ediceret : *Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis, quia ipse est Salvator faciens mirabilia, etc.* ita S. Georgius facto suo heroico convertit ad Christum reginam, milites complures, magnamque plebis multitudinem.

IV. Quartus fuit mors, quæ, et ipsa draco quidam, et immanis quidem est, qui omne hominum genus ad se rapit devoratque : qualis ille boas fuit prope Epidaurum Dalmatiæ, qui armenta et pastores tractos ad se vi spiritus absorbebat; quem et pyram ipsi exstructam conscendere jussit, et in ea exussit S. Hilarion, ut scribit in ejus vita S. Hieronymus. Mors etiam vi spiritus, non sui, sed divini illius, qui homines ei subjecit, omnes omnino homines, subditos et rectores ad se trahit et absorbet. Sanctus tamen Georgius, licet et ipse per martyrium fauces ejus intrarit, sic damno tamen intravit. Imo sicut ichneumon crocodili ventrem, dum in hiante ore ad littus jacet, insilit et perrumpit, teste Plin. lib. VIII. c. XXV. ita et Georgius mortis alvum penetrans, ad cœlestem et perpetuam vitam erupit. Primus ichneumon et mortis domitor, Christus fuit; quem secutus Georgius et forti et hilari animo, ubi pro se et inimicis suis precatus est, cervicem carnifici præbuit. Vivit nunc et triumphat in cœlis superata morte Georgius, sicque in ipsa impletum est quod scribit apostolus I. Cor. XV. *Absorpta est mors in victoria.* Quem locum desumpsit Paulus ex Isaia, c. XXV. ubi de Christo dicitur : *Præcipitabit mortem in sempiternum,* Hebr. *habetur præcipitavit, vel absorpsit mortem in victoria;* Septuaginta vero in contrarium vertunt : *Devoravit seu absorpsit mors prævalens.* Quomodo igitur, inquires, devorata et absorpta est mors, secundum Paulum, si secundum Septuaginta interpretes devoravit, atque absorpsit prævalens?

Belle hunc nodum solvit apostolus, dum addit : *In victoria,* Hebr. *lanetsach,* quod significat etiam *in sempiternum,* uti est in Isaia. Absorpta est ergo mors in victoria, quia dum ipsa contra Christum primum, deinde contra Georgium aliosque martyres prævaleret, eos absorbendo et devorando, in hac ipsa quasi victoria sua victa, absorpta et devorata est; quia e perrupta et lacerata sua alvo, reddere debuit Christum, reddere debet martyres et electos omnes, qui per ejus alvum transeunt ut victores ad vitam sempiternam.

Superest jam ut nos imitemur in primis Christum, mortis, dæmonis et mundi triumphatorem; deinde, et Georgium ejus sectatorem et militem strenuissimum, quantum fieri potest cum divina gratia; ac tametsi jam tyranni nulli sint, nullique Diocletiani, non desunt tamen alii pessimi dracones, mundus, caro, dæmon, quibuscum decertare et possumus et debemus. Triplicem illam hydram quisquis debellarit, næ ille monstrorum domitor et draconum triumphator audiet in cœlo.

CONCIO II.

CONTRA RELAPSUM STRENUE PUGNANDUM.

Firmum non relabendi propositum concipiendum. — I. Quia id Deo promissimus. — II. Quia id exigit gratitudo erga Christum. — III. Quia per relapsus gravius cademus. — IV. Quia non coronabitur, nisi qui perseveraverit.

THEMA.

Manete in me, et ego in vobis. Joan. XV.

Persarum regem Xerxen, scribit Herodotus, l. VII. cum iter faciens invenisset speciosam valde platanum, varia huic arbori ornamenta appendisse, torques, annulos, chlamydes : ac ne iis ornamentis spoliaretur, in discessu de suis immortalibus (sic ea appellabat, quorum numerum semper integrum et completum conservabat) unum addidisse pro custodia militem. Ornavit non ita pridem rex non Persarum, sed cœli et terræ, animas, ut speramus, omnium nostrum, qui arbores inversæ sumus, dum vestivit gratia sua, adeoque in amicos et filios adoptavit. Sed quid si iterum spoliemur hoc tanto ornamento? Quis tandem fructus erit? Hinc enim Dominus in hodierno evangelio tam serio hortatur et quodammodo rogat nos, ut in eo maneamus, quo et ipse in nobis permanere possit : *Manete in me, et ego in vobis,* scilicet, maneam, quasi diceret : Ergo nihil magis desidero, quam ut in vobis ma-

neam cum gratia et donis meis; et quantum in me est, firmiter vobis adhærebo, quasi vobis affixus: tantum vos custodite animas vestras, hoc ornamento donatas, ut ne aliquis vos eo despoliet, adeoque me expellat. Quid igitur faciendum? Quemadmodum Xerxes strenuum quemdam et immortalem militem dedit conservandæ platano: sic demus et nos animæ nostræ equitem Georgium, qui nullis illecebris aut minis a fide christiana avocari potuit per Diocletianum, statuumus uno verbo firmum propositum non admittendi ullum furem gratiæ divinæ, et hoc ob sequentes potissimum causas.

I. Quia promissimus Deo in pœnitentia fortiter nos statueros et pugnatueros contra omnia peccata eorumque incoctores. Quis autem principi aliquid audeat promittere, quod præstare nolit? Quis duci sacramentum dare et e bello fugere? *Democrates pugil, cum ex pedibus laboraret, ad certamina venit, et consistens in stadio, descripsit sibi circumum, et jubebat adversarios ut se expellerent extra lineam. At illi cum nequirent, victi sunt, et ipse cum bene et fortiter in statione sua perstitisset, coronam secum deportavit.* Ita Ælian. lib. IV. var. hist. cap. XV. Hoc ob terrenam gloriam et coronam paravit homo æger, et podagricus: quid nos Christiani pro corona gloriæ? Sumus et nos luctatores, teste apostolo, ad Eph. VI. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates tenebrarum harum, etc.* Spectatores hujus luctæ sunt omnes cœli cives, et in primis Deus. Non dubito quin in nupera paschali exomologesi unusquisque suo circulo sese circumseripserit, firmissimo proposito non egrediendi amplius limites mandatorum divinatorum, ejiciendi etiam quosvis hostes sese impellentes, carnem, dæmonem, mundum. Exeramus nunc vires nostras, præstemus nos luctatores, et ne vel latum pedem extra circumum illum rapi nos patiamur: quemadmodum et apostolus fecit ad Roman. VIII. ubi totum mundum provocat ad certamen, certus se a nemine ultra propositi sui cancellos unquam extrahendum: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Licet vero ægri et nos simus ob naturam nostram peccato originali depravatam et debilitatam; possumus tamen cum Dei gratia facile superare dæmones, multo alioquin nobis fortiores: id quod ad magnam gloriam nostram, dæmonum vero confusionem cedit.

II. Quia Christo pro liberatione nostra grat esse jubemur ab ipsa ratione, adeoque novas injurias nequaquam irrogare. Exploratores illi, Jos. II. missi in Jericho, et servati atque dimissi e domo Rahab, ea lege, ut promitterent ejus domui incolunitatem, non solum promiserunt, sed et sancte præstiterunt in expugnatione urbis, proposito sibi ante oculos funiculo coccineo, in quo dimissi fuerant. At vero nonne et tu, Christiane, ea lege, ut non peccares amplius, nuper dimissus es ab Ecclesia per sanguinem Christi coccineum? Nonne promisisti ei fidem? Recordare funiculi illius purpurei, sententiæ absolutionis, inquam, sacramentalis, qua dimissus et a morte æterna liberatus es. Vide purpureum ejus colorem, sanguine Christi tinctum, ut abluere peccata posset. Itane tanti beneficii et tuæ sponsonis immemor esse potes? Narrat Valerius Maximus, l. I. c. VI. in exercitu Xerxis aliquando prodigioso equæ partu leporem esse editum, quo belli eventus indicatus sit: nam qui mare classibus, terram pedestribus copiis operuerat, uti fugax lepus pavidus domum fugit. Sic multi multa et magna promittunt, sed promissa non implent, neque urgent: itaque equum promittunt, et leporem pariunt. Ita Hebræi prius bellicosi et intrepidi, qui Jos. c. I. tanti polliciti erant, ne non buccinis muros Jericho dejecerant; postea aggressuri parvulam urbem Hai, statim terga vertunt et a paucissimis hostibus cæduntur ac fugantur vix conspecto hoste. Quæ ignominia cum in Deum et totum Israel redundaret, Josue confusus dixit: *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israel hostibus suis terga vertentem?* Jos. VII. Quid aliud dicet Christus, Josue noster, si videat nos post tanta promissa statim terga vertere?

III. Quia per relapsam gravius cademus. Ostensum id figurate in Azotiorum idolo Dagon: qui cum juxta eum arca Dei statuta fuisset ab Azotiiis, prima nocte corruit coram arca, licet absque sui læsione. At cum rursus ab iis repositus fuisset juxta arcam ad priorem locum, sequenti nocte iterum corruit, sed longe graviore casu: nam contractus est, ita ut caput et manus ejus præcisæ repertæ sint ad limen templi, I. Reg. V. Hunc in modum, qui creaturam aliquam velut idolum colit et statuit coram arca, id est, gratia Dei, quam penitens accepit et in anima sua possidet, ne is graviter quidem cadet. Verum si secundo statuerit, gravius multo corruet, nec absque magna sui confectione. Multis id ostendere possum. Davidis primus lapsus, etsi gravis, unius tamen morte infantis expiatus est, II. Reg. XII. At posterior, quo populum sibi subjectum ex aliquo fastu numerari jussit, etsi multo levior, non nisi interitu 70000. hominum; licet utrobique

eadem voce: *Peccavi*, suam culpam deplorasset. In prato spiritali, c. XLVII. refertur de mimo quodam Heliopoleos, Gaiano nomine, qui cum in theatro Deiparam blasphemias traduceret, ab eadem sibi noctu apparente admonitus es hæc voce: *Quid tibi mali feci, qui coram tanta multitudinem mihi detrahis et blasphemias me?* Ille surgens visum velut somnium contempsit, et non solum se non correxit, verum etiam postea plus blasphemavit. Rursus ergo apparuit illi Dei Mater dicens: *Noli, quæso, noli ita lædere animam tuam.* Ille vero rursus deterius eadem repetebat. Unde ipsa tertio eum admonens eadem repetebat. Cum autem ille se non corrigeret, sed plus blasphemias adjiceret; meridie dormienti apparuit, nihilque dicens, digito solum signavit ejus manus et pedes. Evigilans autem ille, invenit se truncatum manibus et pedibus. Atque ita infelix, uti truncus inutilis jacens confitebatur omnibus, cujus rei gratia, et quomodo hæc passus ac clementer punitus esset. Vultis aliud recentius? In vita Constabilis abbatis Cavensis, qui obiit anno 1133. refert Surius, quemdam diaconum Dauserium nomine, sub oratione crebre ejus sepulcro in nixum obdormisse. Monitus ergo per somnium ab abbate: *Quare tu ex sepulcro meo grabbatum facis?* Post menses aliquot rursus ibi obdormit, et abbas ei apparens: *Nonne dixi tibi (ait) ne de sepulcro meo grabbatum faceres?* Territus ille et evigilans, videt brachium suum contractum et immobile. Agnoscens igitur errorem, ab eodem beato, ut creditur, abbate precibus sanitatem impetravit, Sur. 17. febr. Vides hic in secundam irreverentiam beato viro exhibitam gravius animadversum, quam in primam. Et quid mirum, si etiam nos homines acrius plectimus iteratos et continuatos lapsus, quam inchoatos? Inter quotidiana exempla sufficiat hoc Childerici regis Francorum, qui Merovæum filium regni affectatorem primo attonsum in monasterium intravit: ex quo ille profugus et res novas molitus, ab eodem exoculatus est, teste Paulo Æmilio, in Childerici vita. Primus ejus lapsus ita punitus est, ut curiosi ejus oculi ad monasterii limites constringerentur: secundus promeruit, ut omnino cæcerentur. Quare sicut sacerdotes Dagon, et omnes, qui ejus templum ingrediebantur, ab eo tempore, quo Dagonis caput et manus repertæ sunt super limen templi, non calcarunt amplius limen illud, ut habetur loco citato: ita et quicumque post lapsum resurrexit, videat ne amplius calcet limina illa, in quibus lapsus est, ne periculosius cadat: *Plerique naufragio liberati, exinde repudium et mari et navi dicunt*, ait Tertullianus, l. de pœnit. c. VII. Sic Petrus naufragium in aula

Caiphæ passus, mox eam deseruit, nec amplius repetiit. Et tu igitur dicito: *Valete fluctus, valete maria in æternum, valete peccata.* Et cui quæsc diabolus ita timet crucem, nisi quia per eam semel dire cæsus et debellatus est? Bone Deus! Dæmon fugit instrumentum, quo accepit plagam: et non fugit Christianus abominabile peccatum, a quo, et propter quod tam saepe acriterque muletatus est?

IV. Quia non coronabitur, nisi qui perseveraverit usque in finem. In podere summi sacerdotis v. t. malgranata erant (quæ sunt poma coronata) non in suprema, nec in media, sed in infima vestis parte, Exo. XXVIII. quia corona non datur, nisi perseveranti usque ad finem. Scimus etiam gladium, quo David Goliatho caput amputavit, inter sacra templi asservatum in tabernaculo, velut rem Deo sacram, I. Reg. XXI. non tamen fundam aut lapidem, quo eum prostravit: quia nimirum funda solum prostravit, gladius vero occidit. Prostravistis nuper Goliathum illum, fortem armatum, vestra pœnitentia; sed nondum occidistis. Vivit adhuc, etsi enervatus et prostratus; unde adhuc arripere vos potest accedentes ad se ac dejicere: itaque superest, ut gladio perseverantiæ caput ei amputetis, quomodo etiam David: *Stetit super Philisthæum, et interfecit eum*, I. Reg. XVI. Hoc nos Christus docuit, qui ad descensum crucis provocatus, descendere noluit, sed perferendo crucem, usque ad consummatum est, et usque ad mortem, ea velut gladio, diabolus omnino jugulavit. Nimirum crux est limes et terminus victoriæ Christianorum, quemadmodum *thau* signum electorum, apud Ezechielem, c. IX. quo qui caruerunt, in Jerusalem omnes trucidati sunt. S. Eduardus Angliæ rex, ejus nominis tertius, Hibernum pedis utriusque officio privatam, rogatus suscipere in humeros, et portare usque ad templum S. Petri ex palatio suo, suscepit, et mox in itinere nervi debilis extenduntur, sananturque pedes. Tunc clamare omnes, sanatum languidum, onus ob squalorem et fetorem deponendum. Sed ille nequaquam acquievit, donec ad præscriptum terminum, templum S. Petri pervenit, ubi ante sanctum altare ægrum deposuit sanum, in ejus vita, 5. febr. Alfredus abbas Anglus, apud Sur. Suscepimus in nos elapso paschatis tempore suave pœnitentiæ jugum, eique nos alligavimus firmo proposito non abjiciendi, nec confringendi illud. Feramus igitur fortiter quod nobis imposuimus; licet caro, mundus et tota diaboli caterva obsistat et contrarium suadeat, usque dum perveniamus ad templum illud, cujus claviger est Petrus.